



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro præseruatione à peccatis, erroribus & desperatione in morte. Precatio
IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

Actio gratiarum pro Iesu miserabili, nuda, lamentabiliq; sessione in vento super frigidum lapidem, & exprobrationibus iniurijsq; illi illatis: & violentissima dolorosissimaq; super crucem protrusione & lapsu.

CAPVT IX.

Innocentissime Iesu, agne mitissime, memento quæso quam graui intus dolere cor tuum pudicissimum præmebatur, cum ingentem illam nudationis tuæ confusionem & ignominiam ferre cogere, quando scilicet ante oculos crudelium hostium tuorum totiusq; populi & in aspectu castissimæ matris tuæ, aliarumq; sanctarum mulierum totus vndique sauciatus & concisus, doloribusq; repletus, nudus sedebas super quandam frigidam petram aut rupem, conspiciens non sine multo gemitu & horrore, quomodo tibi crucis patibulum atque durum illud mortis tuæ stratum apparerent. Interim corpus tuum tenerrimum, tam misere lacerum & quasi excoriatum vento & frigori expositum fuit atque præ frigore obriguit & tremebat, vnde & maximus tibi vndique dolor accreuit.

Quis etiam mente comprehendere sufficiet pie Iesu, quales interea iniurias, irrisiones, blasphemias & opprobria tibi irrogarint, & sustinueris? Recordare etiam mitissime agne Christe Iesu, quomodo caput tuum benedictum, & etiam Angelicis potestatibus tremendum in illa sessione tua, à crudelissimis illis nebulonibus afflictum, excruciatum fuerit, & quasi reiterato coronatum, dum ob vestium tuarum integritatem, cogere ante tuam denudationem coronam spineam tibi extrahere, quam dum denuo tibi imprimunt crudeliter, & noua vulnera infligunt, adeo vt etiam ex cunctis illis vulneribus vbertim per faciem & collum præciosus sanguis tuus in terram profueret. Deinde inhumanissimi illi carnifices, sine vlla miseratione, non secus atque famelici leones furiosè te arripientes, super crucem rigidam retrorsum imitissimè prostrauerunt. Quis bone Iesu hic dolores tuos de tam violento & præcipiti casu comprehendere queat?

Pro præseruatione à peccatis, erroribus ac desperatione in morte, Precatio IX.

Per huiusmodi autem prostrationem & casum, deprecor te clementissime Iesu, vt me ab ista hora vsque in æternum misericordia & gratia tua præserues, ne vnquam in aliquod corruam peccatum, propter quod priuandus essem mellisua desiderantissimi vultus tui præsentia & contemplatione: nec sinas me in vita, vel in morte, in aliquem incidere errorem, seu mentis alienationem, aut desperationis laqueum, sed in vmbra alarum tuarum, in benignissima protectione tua, me semper in vinculis charitatis, inter misericordix & virtutis tuæ brachia constringas, foueas, & inseparabiliter contineas, Amen.

Actio gratiarum pro Iesu manuum pedumq; penosissima super crucem expansione & perforatione, omniumq; membrorum & compagum eius distensione & dissolutione.

CAPVT X.

Lvx mea serenissima, exultatio ineffabilis amatorum tuorum Christe Iesu amabilissime, vtinam des mihi ardenti cum deuotione hodie & semper memorem esse illius charitatiuæ expansionis membrorum tuorum, qua tam dignanter, tamq; miserabiliter super lignum crucis iacens sanctis pedibus promptissime ac spontaneè extensis, brachia tua super cornua crucis in amoris amplexus

exten-